DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
IVDICE IN CONCVRSV CREDITORVM COMPETENTE

RECTORE GEORGIAE AVGVSTAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO
DOMINO
GEORGIO II
MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REG
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS AVTORITATE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI
D. IOANNE FRIDERICO WAHL
POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
A CONSILIIS AVLAE FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDE
ORDINARIO ET ANTECESSORE
PRO GRADV DOCTORIS
DISPVTATA PVBLICE
AB AVCTORE
MARTINO SCHMIDT
MOENO - FRANCOFVRTANO



AD D. APRILIS A. C. N. CIↃ IↃ CCL.

GOETTINGAE
TYPIS, IO. CHRIST. LVD. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.

INCLYTAE
REIPVBLICAE MOENO-FRANCOFVRTENSIS
SENATVI VNIVERSO
VIRIS
ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS
PRAENOBILISSIMIS CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS ATQVE PRVDENTISSIMIS
DOMINIS
PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS
ATQVE INTER EOS
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
CONSILIARIIS ACTVALIBVS
S. R. IMPERII
LIBERAE REIPVBLICAE MOENO - FRANCOFVRTENSIS
PATRIAE PATRIBVS
DOMINIS PATRONIS
AC MAECENATIBVS BENIGNISSIMIS
SEMPITERNA PIETATE AC OBSERVANTIA
COLENDIS.

CVM PERENNIS FELICITATIS VOTO
AC EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

D. D. D.

MARTINVS SCHMIDT.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVDICE IN CONCVRSV CREDITORVM COMPETENTE.

§. I.

INSTITVTI RATIO.

Simul ad ſcribendam diſſertationem inauguralem, *de iudice in concurſu creditorum competente*, animum adieci, extemplo copia ſcriptorum, qui materiam de *concurſu creditorum* tractarunt, ſuſpicionem quandam mihi attulit, non defuturos eſſe, quibus opera mea, ſi non prorſus male conſumta, ingloria tamen videri poſſit. Cogitanti autem mihi, quam vaga et confuſa ſit, tantum non omnium doctrina, de *fori inter plures concurrentes creditores competentia*, quod omnes, qui vel paululum eosdem in-

trospexerint, haud difficulter fatebuntur, copiosa, qua haec materia redundat, vtilitate fretus, hunc meum qualemcunque laborem, paulo adcuratiori eiusdem expositioni impensum, vtut non laudis multum, tamen nec reprehensionis quidquam habiturum esse, confidebam. Hoc vero inprimis propositum mihi fuit, vt peregrini et patrii iuris principia vbique discernerem perquam solicite. His etenim in ordinem adductis, intellectu non amplius erit difficile, quo iure hodie in germania vtamur, quidue in ipsis rerum argumentis obtineat. (*a*)

§. II.

CONTROVERSIA DE FINIBVS IVRISDICTIONVM EX LEGIBVS STATVI REIP. CONFORMIBVS DECIDENDA.

Quo frequentior est controuersia, quae, concurrentibus pluribus creditoribus, in iudiciis germanicis, de fori competentia incidere solet, eo maiore circumspectione opus est, ne alia norma & regula iudicemus, quam quae legibus, moribus & consuetudinibus, ad statum imperii romano germanici adcommodatis, praescripta ac determinata est. Non igitur recte mihi fundamentum collocare videntur, qui principiis ex latifundio

(*a*) Nihil quidem frequentius esse solet, quam vsum iuris romani in iudiciis germanicis aestimari ex incertis magistrorum forensium opinionibus, sed longe melius rationes subducere mihi videntur, qui ex intimis iuris romani penetralibus, cum peculiaribus germaniae rationibus collatis, id diiudicandum esse censent. vid. B. Cancell. BÖHMER *tom. I. Ex. XXII. de maiest. magistr. maior. apud roman. cap. II. §. 1. not. a. pag. 974.*

fundio iuris romani petitis, dirimere vnice & componere volunt, quod heic in disceptationem vocatur. Quanquam enim nescius non sum, ius quiritarium in iudiciis germanorum generalem authentiam obtinuisse, attamen & illud probe mihi est cognitum atque perspectum, leges de finibus iurisdictionum ipsorumque territoriorum & regionum, quibus iuris dicundi potestas adfixa est, ad singularum rerumpublicarum statum, vinculis quam arctissimis, sic adstrictas esse, vt alia respublica, alias doctrinas postulet. Quamobrem multum iuuabit, discriminatim explicare, quid secundum leges romanas, ex nexu earum cum reipubl. *romanae* statu, quid vero ex peculiari ratione & indole, hodierni imperii *romano-germanici* eiusque structura politica statuendum sit?

§. III.

STATVS REIPVBLICAE ROMANAE TRIPLEX POTESTAS IMPERATORIS ROMANI ABSOLVTA IN VNIVERSO ORBE ROMANO.

Roma orbis aliquando caput totiusque terrae compendium dicta, tam late per orbem terrarum arma circumtulit, vt imperium, quod toto orbe romano amplius esset, nulla humana possit memoria recordari, cuius imaginem, vt in breui quasi tabella complectar, sequar CORNELIVM TACITVM, qui totam eius aetatem, concinna breuitate his verbis percensuit. (*a*) *Vrbem romam a principio reges habuere, libertatem & consulatum* L. BRV-

(*a*) *I. Annal. I.*

TVS *instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur, neque decemuiralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum ius consulare diu valuit, non* CINNAE, *non* SVLLAE *longa dominatio &* POMPEII CRASSI*que potentia cito in* CAESAREM, LEPIDI *atque* ANTONII *arma in* AVGVSTVM *cessere, qui cuncta discordiis ciuilibus fessa nomine* PRINCIPIS *sub imperium accepit:* vere hoc TACITVM adfirmasse nemo facile, qui imperii huius formam & politicam structuram paulo curatius rimatus est, inficias ire potest, certo enim certius omnique exemptum dubio est, nec senatui, nec vniuerso populo romano, pristini iuris aliquantulum relictum esse, quod, cum principis siue imperatoris maiestate coniunctum, ipsam rempublicam ex duabus partibus in vnum quasi corpus compactam formare potuerit. Vniuersa potius & tota respublica a solius principis nutu & arbitrio dependebat, cui vsque quaque nihil non licuit, quod collibitum fuit. Partiebatur quidem, sub initium principatus sui, AVGVSTVS cum senatu romano prouincias, atque huic aliquot regendas attribuit, sub nomine prouinciarum *consularium* (*b*), sed leniter in his quoque omnis auctoritas senatus sic euiluit, vt proconsulibus non secus, atque aliis *praetoriarum* prouinciarum praefectis & praesidibus, nihil praeter obsequii gloriam, relictum fuerit. Quamobrem, optimo iure, *mundi* huius siue orbis romani dominum se vocauit ANTONINVS imperator. (*c*) Neque alia

(*b*) De diuisione orbis romani, quae stante vetere republica obtinuit in *romam*, *regiones italiae* & *prouincias*, quam certo modo AVGVSTVS consilio Maecenatis retinuit, vid. IACOB. LESCHESAERIVS *in obseruat. de vocab. ad geograph. iur. rom. pertinent. Tom. V. Thes. iur. ciuil. romani pag. 1105. sq.*

(*c*) *L. 9. D. ad L. Rhod. de iact.*

alia imperii forma ſub CONSTANTINO M. facie eius non nihil licet mutata, (*d*) introducta fuit, quid? quod ſtabilis hic imperii ſtatus permanſit, donec poſt diuiſionem inter HONORIVM & ARCADIVM factam, primum collabaſcere ſenſim coepit, poſtea vero, eiecto, ab ODOACRO herulorum rege, ab imperatorio ſolio AVGVSTVLO, & nomen & imperium, quod ſub AVGVSTO exordium habuit, A. poſt Chr. nat. CCCCLXXVI cum ipſa dignitate funditus extinctum fuit.

§. IV.

SVMMI IMPERII EXERCITIVM IN IVRE DICVNDO IN QVALIBET ORBIS ROMANI PARTE, ALIIS SVB NOMINE IVDICVM CONCESSVM.

Equidem principes romani, quotiescunque inter ciues & ſubditos, ſiue romae, ſiue in *regionibus* italiae, ſiue in *prouinciis*, de bonis, de honore, vel de quacunque alia re & cauſa, iurgium vel lis aliqua ſuborta fuit, ſummae in iure dicundo poteſtatis exercitium, quemadmodum adhuc ſtante vetere republica moris fuit, aliis delegarunt, certis eo fine iudiciis conſtitutis, verumtamen nullius tribunalis tam infinita autoritas fuit, quo non imperatoria manus peruaſerit, quae nullis limitibus ac finibus circumſcripta, vsquequaque, quidquid placeret, non ſuadere tantum & hortari, ſed

(*d*) Diuiſit CONSTANTINVS vniuerſum imperium in quatuor *praefecturas* ſiue tractus, per *orientem*, *Illyrium*, *Italiam* & *gallias*, quibus quatuor praefectos praetorio praepoſuit, quorum numerum IVSTINIANVS, poſt eiectos Vandalos, quinto *Africae* ſcil. praefecto adiecto, auxit. vid. MARIANI SCOTI *notit. dign. veter. imper. pag. 8. ex edit.* PANCIROLLI.

iubere & imperare, hoc quidem effectu potuit, vt stricte voluntati principis obedire & parere necessum fuerit, (*e*) omni prorsus repugnandi & resistendi facultate denegata. Manserunt enim, verso sub imperatoribus reipublicae statu, eadem tantum magistratuum vocabula, sed nihil vnquam prisci & integri moris, omnibus, exuta aequalitate, iussa principum adspectantibus. (*f*) Quotquot autem a principe potestate praediti iudicia tractarunt, eodem, quo in republica libera, *iudicum* nomine designati sunt. Quandoquidem vero nemini, praeterquam ei, qui publica autoritate sedens de re aliqua inter inuitos cognoscebat & iudicabat, *iudicis* appellatio attributa fuit (*g*), recte ex eo cogitur, priuatorum consensum, eum, qui nulli iudicio praefuit, iudicem facere non potuisse, quoniam nullo modo executionem inueniebat, quod a priuato inter inuitos cognitum ac iudicatum, rei iudicatae autoritatem non habuit (*h*). Quod enim VLPIANVS eum quoque iudicem vocauit (*i*), qui ex *compromisso* sumptus est, de iudice inter *volentes* per compromissum accipiendum est, quod voculae *ex compromisso* adiectae satis adperte declarant. Arbiter itaque compromissarius, qui iudici inter inuitos cognoscenti & iudicanti, quodammodo similis fuit, adpellatione *iudicis proprie* sic dicti non veniebat, quem, non *stantem*, sed *sedentem*, quirites cognoscere & iudicare iusserunt, vt ex pluribus iuris romani

(*e*) Iussus igitur principis romani similis fuit, mandato illi, quod galli PAREATIS vocant. vid. GOTHOFRED. *ad L. fin. D. de iurisd. lit.* (*h*) *&* *ad L. 15. §. 1. D. de re iud.* (*a*)

(*f*) TACITVS *Annal. L. I. c. III. n. 9. & cap. IV. n. 1.*

(*g*) *L. penult. D. de iudic.*

(*h*) *L. 3. C. de iurisdict.*

(*i*) *Dict. L. pen. D. de iudic.*

mani (*k*) textibus patet, quod ad grauitatem muneris iudicandi potius, quam ad animi compositionem, quasi sedato & bene composito animo, quo iudicem esse decet, magis esse possit, cuius corpus etiam quiescit, respexisse similius veri videtur, quamuis, quod seruus apud PLAVTVM (*l*), seni consilium petenti dixit.

Nimio plus sapio sedens.

huc trahi possit, nisi PLAVTVM lusisse constaret.

§. V.

DIVERSA IVDICVM MAIORVM ET MINORVM INTER SE RATIO ET DIFFERENTIA INTER HOS ET PEDANEOS IVDICES.

Qui de re aliqua iudicabat, vel *iure* suo (*m*), vel *alterius*, qui iubendi potestatem habuit, autoritate eandem potestatem in cognoscendo & iudicando exercuit, *suo* autem, siue *proprio iure* omnes iudicare dicebantur, quorum officio haec potestas cohaesit, vt alterius autoritate & beneficio ad eam explicandam non indigerent, (*n*) & hi quidem iudices, *magistratus* (*o*) nomine, officio

(*k*) *Vid. L. 7. pr. D. de in integr. restit. L. 2. §. 43. ad SCt. Tertull. L. 1. §. 5. D. de postul. L. 1. C. de offic. ciuil. iudic. vid. V. C.* IO. FRIED. IVGLER *iudex sedens ex antiquititat. erut.*

(*l*) *In mostell. act. V. scen. I. V. 54.*

(*m*) *vid. L. 5. D. de iurisd. L. 1. §. 1. L. 3. D. de officio eius, cui mandat. est iurisd.*

(*n*) Non tamen aliter cuiquam iudicia data sunt, quum vt esset *populi* (deinde *principis*) potestas, ad quam prouocaretur. CICERO. *L. III. de LL. C. 27.*

(*o*) Proprie igitur magistratus, quanquam aliquando *improprie* hoc nomine *reges* quoque veniebant, *L. 2. §. 3. & 14. D. de or. iur.* is dicebatur, qui publica autoritate rempublicam in partibus sibi a po-

officio ſuo functi ſunt, cum in *vrbe*, tum in *prouinciis*, vnde prima magiſtratuum diuiſio fuit, in *vrbanos* & *prouinciales*, quorum quidam, neceſſitate poſtulante, *extra ordinem*, reliqui *ordinarie*, ſtatis temporibus, deligebantur. Quorum electio centuriata lege & maioribus auſpiciis facta fuit, iudices *maiores* (*p*) nuncupati ſunt, in tributis vero comitiis & minoribus auſpiciis creati, *minorum* nomine veniebant. Quemadmodum vero iudices *maiores* in ſella curuli, vel in *plano* (*q*) poſita, vel in *tribunali* (*r*) eadem collocata, ſedebant, *ſummatim* interdum, aliquando vero *plene* cauſam cognoſcentes, ita *ſubſellia* ſiue depreſſiores ſellas *minores* occupabant, nam nec romae tribuni, triumuiri, quaeſtores ceterique minora iudicia exercentes, nec in municipiis magiſtratus municipales tribunal aliquod habuerunt, (*s*) ſimiles in eo iudicibus, qui ad ſpeciales minores cauſas dignoſcendas, a magiſtratibus delegati ſiue dati (*t*) fuerunt, qui propterea, quod in ſubſelliis ad pedes praetoris ſederent, (*v*) *peda-*

a populo creditis, per tempus legitimum adminiſtrauit.

(*p*) *L. 32. §. 7. D. de recept. qui. arbitr.*

(*q*) vid. NOODT. *L. I. de iurisd. & imper. cap. X.*

(*r*) Quoties decreto opus fuit. *vid.* NOODT. *cit. l. cap. XI. & XII.*

(*s*) NOODT *c. l. c. III.*

(*t*) Iudices hi inde nomen iudicum SPECIALIVM, *L. vlt. D. de offic. praet. L. 5. D. de offic. praeſid.* DELEGATORVM, *L. vnic. C. qui pro ſua iurisd. &* ADDICTORVM, *L. 46. D. de iud. L. pen. D. iudicat. ſolui* obtinuerunt.

(*v*) Diſſentit CAROL. BRETI *de antiquo ord. iudicior. ciuil.* Cap. XL. qui ſibi aliisque perſuadere voluit, pedaneos iudices non in ſubſelliis ſedentes, ſed de plano & in pedibus ſtantes iudicaſſe, ſed in errore ſuo facile conuinci potuiſſet, ſi animaduertiſſet, magiſtratus quoque *municipales*, non aliam ob cauſam aliquando *pedaneos* vocari *L. 38. §. 10. D. de poen.* quam quod ſedentes

pedanei (x) dicti sunt, qui, cum directo a litigatoribus non adirentur, his a praetore, ad cuius pedes sedebant in subselliis, & ad vnam quidem tantum causam, in specie & nominatim cognoscendam iudicandamque, *dati* & *addicti* fuerunt, (y) ita quidem, vt omnis eorum potestas iudicandi munere, i. e. cognitione & sententiae dictione finiretur.

§. VI.

IVDICANDI FACVLTAS DVPLEX IVRISDICTIONIS ET IMPERII DISCRIMEN.

Omnis iuris dicundi potestas in *notione* se quam maxime exserebat, quae in generali significatione & *iurisdictionem* & *notionem in specie* complexa est. Notionis etenim nomen, inquit VLPIANVS (z), etiam ad eos pertinet, qui iurisdictionem non habent, sed habent de quacunque alia causa cognitionem. Nihil igitur aliud est *iurisdictio*, quam *notio*, quae iure *magistratus*, ex lege vel constitutione quadam delata, competit, cum decernendi & exequendi potestate (*a*) coniuncta: *Notio* vero *in specie*, non *iure*, sed ex *auctoritate* magistratus, vt PAVLVS (*b*) loquitur, sine exequendi potestate

dentes in subselliis, perinde vt iudices hi speciales, iudicassent, nunquam vero magistratus *maiores*, qui tribunali praefuerunt, eodem nomine designatos fuisse, licet *subsellia* aliquando abusiue *tribunalia* vocentur. vid. NOODT. *cit. Lib. I. C. III.*

(*x*) *L. 4. C. de tut. dat. ab his L. 3. §. 1. D. ne quis eum, qui in ius vocat, t. t. C. de pedan. iudic.*

(*y*) vid. CAROL. BRETI *c. l. cap. XII.* & NOODT. *L. 1. de iurisd. & imper. C. XIII.*

(*z*) *L. 5. pr. D. de re iud. L. 99. pr. D. de V. S.*

(*a*) NOODT. *L. I. de iurisd. & imper. c. I.*

(*b*) *Lib. V. sent. tit. V. pr.*

te exercetur. Inde *iudex duplex* apud romanos, vnus, qui *iurisdictionem*, alter, qui *notionem* in ſpecie dictam habuit. Licet autem omnis iudex iurisdictione praeditus facultatem iurisdicundi a populo & poſtea a principe acceperit, multum tamen diſcriminis inter *maiores* & *minores* iudices ſiue *magiſtratus* interceſſit: quod enim illis tribuitur *imperium* & duplex quidem, *merum* ac *mixtum*, quod poteſtatem exequendi iudicata continet, his vel plane denegatum, vel ſaltim non quod ad omnes partes conceſſum fuit. Sicut vero non omnes magiſtratus maiores merum illud imperium habebant, ita illi, quibus competiit, non *ſuo* vel *proprio* iure, ſed ex ſpeciali *legis conceſſione* id obtinuerunt, contra *mixtum* imperium *iurisdictioni cohaerere* PAPINIANVS (*c*), eodem ſenſu, quo VLPIANVS (*d*) *imperio* iurisdictionem *ineſſe*, dixit. Ex quo facile intelligitur ratio, ob quam creberrima iurisdictionis & imperii confuſio in iure occurrit (*e*), neque cuiquam mirum videri poteſt, quod PAVLVS (*f*), praeter iudicis dandi licentiam, alia quoque ad imperium retulerit, quae alibi, cum idem PAVLVS (*g*), tum VLPIANVS (*h*) iurisdictionis eſſe dixit. (*i*) Quamobrem recte ex eo concluditur, nullum iudicem, qui *ſuo iure* inter quirites iudicauit, mixto imperio ſiue exequendi poteſtate deſtitutum fuiſſe, ſiue maius ſiue minus iudicium exerceret. Quid? quod *municipales* quoque magiſtra-

(*c*) *L. I. §. I. D. de officio eius cui mandat. iurisdict.*

(*d*) *L. 3. D. de iurisd.*

(*e*) vid. *L. 13. §. 4. D. ad SCt. Trebell.*

(*f*) *Lib. V. ſent. tit. V.* pr.

(*g*) *L. 12. §. 1.* verſic. *lege & L. 58. D. de iudic.*

(*h*) *L. 3. in fin. D. de iurisd.*

(*i*) vid. *L. 7. §. 14. D. de pact. L. 1. §. 9. D. de nou. oper. nunc.* add. SCHVLTING *in iurisprud. anteiuſtin. ad L. V. ſent. Pauli Tit. V. not. 3.*

giſtratus, quos ICtos romanos, ſub nomine magiſtratuum *minorum*, in commentariis ſuis ad edictum, intellexiſſe, ex legum inſcriptionibus, in quibus *minorum* magiſtratuum mentio iniicitur, colligere licet, (*k*) exequendi poteſtate exutos fuiſſe, dicere non auſim, quamuis VLPIANO (*l*) ex *minoribus magiſtratibus* eſſe, nihil aliud ſignificet, quam *ſine imperio* aut *poteſtate* eſſe. Quod enim ipſi iurisdictioni cohaeret, illud vix vllo poſſibili modo a municipali iurisdictione, quam GAIVS (*m*) municipali magiſtratui diſerte attribuit, ſeiungi potuit, (*n*) licet alias haec iurisdictio ad certam quantitatem & ad ea, quae de plano expediri poterant, ita adſtricta fuerit, (*o*) vt apud eosdem magiſtratus de re maiore, non niſi inter conuenientes agere licuerit, (*p*) habita tamen ratione quantitatis in ſingulis actionibus, vt ex SABINI, CASSII & PROCVLI ſententia, quam ANTONINVS confirmauit, GAIVS explicuit. (*q*) Quod igitur VLPIANVS (*r*) *ſine imperio* & *poteſtate*, atque ex *minoribus magiſtratibus* eſſe, ſynonimice dixit, id vel eo ſenſu accipi debet, vt iurisdictio municipalis ad ea non pertineat, quae imperio

 maio-

(*k*) Patet hoc ex inſcriptione *L. 29. D. ad L. municipal.* quae indicat, hanc legem *ex I. commentar.* GAII *ad edictum prouinciale* excerptam eſſe. Quoties ergo GAIVS aliique veteres ICti in commentariis ſuis ad edictum, de magiſtratibus minoribus loquuntur, non alios, quam municipales hoc nomine deſignare voluiſſe, valde eſt ſimile veri.

(*l*) *L. 42. ad Sabinum. L. 32. D. de iniur.*

(*m*) *cit. L. 29. D. ad muncipal.*

(*n*) Nominatim etiam magiſtratibus municipalibus caſtigationem in ſeruos conceſſam fuiſſe, patet ex *L. 12. D. de iurisd.*

(*o*) PAVLVS *L. V. ſent. Tit. V. pr.*

(*p*) Idem *L. 28. D. ad municipal.*

(*q*) *L. II. pr. D. de iurisdict.*

(*r*) cit. *L. 32. D. de iniur.*

maiorum iudicum reseruata fuerunt: ea enim, quae imperii (scilicet magistratus maioris) magis, quam iurisdictionis (scilicet municipalis) sunt, minor magistratus facere non potuit, (s) vel dicendum est, sono magis quam reipsa, nullamque aliam ob causam VLPIANVM municipalibus magistratibus imperium & potestatem negasse, quam, quod verba edicti perpetui, quibus his, ad exemplum vrbanorum constitutis magistratibus, notio quidem aliqua, sed quae angustioribus, cum ratione *quantitatis*, tum ratione ipsarum *causarum* (*t*), includebatur terminis, concessa fuit, non de *imperio*, sed de *iurisdictione* concepta essent. (*v*)

§. VII.

TERMINI IVRISDICTIONIS ET MODVS EAM EXERCENDI CVM PER COGNITIONES EXTRAORDINARIAS TVM PER IVDICIS DATIONEM.

Iussit ingens litium cumulus, vt certis limitibus terminaretur, cum ipsa *iurisdictio* & *notio* singulorum iudicum,

(*s*) *L. 4. D. de iurisd. L. 26. pr. & §. 1. D. ad municipal.* quod in his legibus sermo sit de magistratibus municipalibus, patet ex inscriptione earum, quae significat ex commentariis VLPIANI *L. I. ad edict.* & PAVLI *L. 2. ad edict.* depromtas esse, vid. not. pr. lit. (k) vid. B. Cancell. BÖHMER. *Tom. I. Exercit. XXII. de maiest. magistr. maior. apud. roman. cap. I. §. VII. not. e & f pag. 969.*

(*t*) Abstinere iussi sunt, non solum a causis, ad quas cognitione pro tribunali & decreto opus fuit, quia hae praetorem, vel praesidem desiderabant. *L. 105. D. de reg. iur. L. 4. §. 4. D. de damn. infect.* verum etiam ab iis, quae de plano explicari potuerunt, siquidem praetor easdem sibi reseruauerit, inde nec bonorum possessionem edictalem, in qua tribunali opus non fuit, dare potuerunt, vsque ad tempora CONSTANTII, qui hanc potestatem iis indulsit. *L. vlt. C. qui adm. ad bonor. poss.*

(*v*) vid. NOODT. *L. I. de iurisd. & imperio cap. III.*

dicum, tum terrae tractus, intra quem exercenda fuit. Quare, ficut magiſtratibus municipalibus non licuit ſupra ſuam *iurisdictionem* (x), quae ad certum genus cauſarum certamque ſummam & quantitatem (y) reſtricta fuit, cognoſcere & iudicare, ita nec magiſtratus vrbani ſuae poteſtatis limites excedere potuerunt, iudicis vero pedanei notionem, formula, quam magiſtratus, cui iudicis dandi licentia fuit, praeſcripſit, determinauit, quae ſtrictiſſime ſic obſeruanda fuit, vt nec ob aequitatis rationem eam excedere potuerit, quoniam ipſa iuris dicundi facultas, non pedaneo ſed magiſtratui ſoli propria fuit. (*z*) Praeterea cum ſingulorum iudicum poteſtas, certo terrae tractui adfixa, non omnes imperii romani regiones & prouinicias peruaſerit (*a*), fines territorii, cui iurisdictio adfixa fuit, tam exacte obſeruare iuſſi ſunt omnes, quibus iurisdictio aliqua competiit, vt, extra terminos iurisdictionis ſuae, ius dicenti impune non parere permiſſum fuerit (*b*), praeterquam, ſi ſe ſubiecerint aliqui iurisdictioni extra territorium, & con-

 ſen-

(x) *L. fin. D. de iurisdict.*

(y) vid. §. *praeced.*

(z) vid. NOODT. *L. I. de iurisd. & imper. c. XIII.*

(*a*) De principis romani poteſtate id ſupra adſerui *§. IV. not. c.* neceſſarium igitur fuit, vt huius iuſſus impetraretur, ad exequendum, quod ipſe iudex ex ſua iurisdictione facere non potuit, *L. 15. §. 1. D. de re. iud.* inde ſaepe relationibus ad principem opus fuiſſe videtur, arg. *L. 13. §. 3. C. de iudic.*

(*b*) cit. *L. fin. D. de iurisd.* ſic v. c. praefectus vrbi, licet in vrbe & extra vrbem iubendi & iudicandi licentiam haberet, tamen, ſimul atque terminos vrbis exierit, poteſtate ſua exutus fuit. *L. fin. D. de offic. praefect. vrb.* neque proconſul *contentioſam* iurisdictionem ante aduentum in prouincia habuit, licet *voluntaria* iurisdictio eidem, ſimulatque vrbem egreſſus fuit, conceſſa fuerit. *L. 2. D. de offic. proconſ.*

ſenſerint in iudicem (*c*). Ceterum duplex iudicandi modus apud quirites in vſu fuit, vel enim praetor ipſe, nullo dato iudice pedaneo, *extra ordinem* cognouiſſe, vel iudicem *pedaneum* dediſſe legitur. Prior modus non facile, aliquando tamen adhibitus fuit, quotiescunque nimirum cauſa diſceptanda *celeris expeditionis* incidebat, cum ob *periculum armorum*, tum ob *cauſae* vel *perſonae* ſingularem, quem meruit, *fauorem*, & vbicunque praetor in edicto ſe iudicem daturum pollicitus non fuit, igitur alter modus, *dato iudice* controuerſiam terminare, ex regula obtinuit, ipſum autem iudicem praetor non pro lubitu, ſed ex numero eorum, quos ipſe ſelegit, quorumque nomina in album & decurias relata fuerunt, neque tamen, niſi litigantes conſenſiſſent, ſine ſorte dedit vel addixit, vt hic de facto iudicaret, ſecundum id, quod praetor de bono & aequo ſtatuit (*d*).

§. VIII.

INCOMMODA MODI EXERCENDI NOTIONEM PER IVDICES PEDANEOS ET MVTATIO.

Praeterquam autem, quod copioſam hominum opere ſolutorum cateruam ad lites iudicandas educare, magnum quoddam reipublicae onus fuit, quamplurimis aliis difficultatibus hic modus explicandi iurisdictionem adfectus fuit, quae commodorum compenſatione vix leniri potuerunt. Eadem enim res, cum apud praetorem, tum apud iudicem pedaneum bis agenda fuit,

(*c*) *L. 1. D. de iud. L. 28. D. ad municip.*

(*d*) vid. NOODT. *L. I. de iurisd. & imper. cap. I. ſq.*

fuit, ita quidem, vt apud illum quasi velitatio, apud hunc vero iustum certamen esset (*e*), qui circuitus, cum iusto longior esset, vt non potuit non in principio litis iustitiae celeritatem multimodis morari, quoniam ipsius iudicii constitutio & ordinatio, non iudicis pedanei, qui directo a litigatoribus adiri non potuit, sed praetoris arbitrio relicta fuit, qui eo fine, vt partes suas susciperet, adeundus fuit, ita, peracta notione & iudicio finito, reditus ad praetorem, quo ob denegatam iudici potestatem exequendi, opus fuit, iisdem fere difficultatibus premebatur. Quod vero omnium maximum malum fuit, in ipsa notione, tam facile praescripta a praetore formula, contra aequi bonique rationem, iudex excidere potuit, vt ipsum principem adire, ad legum duritiem, per restitutionem actionis stricto iure amissae, ex aequo & bono moderandam, necesse aliquando esset, idque CLAVDIVM imperatorem fecisse, refert SVETONIVS (*f*). Quamobrem, cum ex eo inprimis tempore, quod incrementum litium inter quirites adtulit, eos itineris perplexi pertaesum esset, sub Imperatoribus demum, tempore praecipue DIOCLETIANI & MAXIMIANI (*g*) nec non CONSTANTINI & THEODOSII (*h*), antiquus iudiciorum ordo sic inuersus fuit, vt, IVSTINIANI aeuo, ex regula magistratus ipsi ius dicere coeperint, insolenter vero & raro iudices litibus iudicandis addicerent (*i*).

§. IX.

(*e*) vid. CAROL. BRETI *de ord. antiq. iudic. cap. XXIV.*

(*f*) *In vita eius cap. XII.*

(*g*) *L. 2. C. de iud. pedan.*

(*h*) *L. 1. & 2. C. de form. sublat.*

(*i*) *vid. Nouell. LX. &* GVNDLING. *ad Dig. tit. de iudic. §. 13. tom. I. exercit. pag. 945.*

§. IX.

IMPERII ROMANI CVM REGNO GERMANICO CONIVNCTIO ET FORMVLA DIVERSA.

Pedem nunc roma per lombardiam in germaniam mouenti, longe alia respublica ante oculos obuersari videtur, in qua veteris quidem imperii romani imaginem aliquam, de qua recordari quodam tempore germani coeperunt, intueri possum, ipsum vero imperium romanum in AVGVSTVLO exstinctum (*k*), adeo adspectu percipere nequeo, vt imperium *romano germanicum*, qua formam, potestatem imperatoriam, iura, mores, cetera, vndique ab eo differre, indeque argumentum a romanis ad praesentia germanorum instituta, superioribus quidem seculis admodum frequens, sed ob aliam & diuersam vtriusque reipublicae romanae & germanicae faciem & formam, ineptum plane & valde imperitum esse, cum celeberrimo MEVIO (*l*) existimem. Siue enim ostrogothorum regnum, quod, ODOACRO herulorum rege interfecto, THEODORICVS (*m*) eiusque successores per septem & septuaginta annos in italia seruarunt, contemplor, siue exarchatum, quem IVTSINIANVS orientis imperator constituit, siue etiam regnum ac imperium, quod ALBOINVS langobardorum (*n*) rex, anno sexti seculi septimo supra sexagesimum, stabilire coepit,

(*k*) supr. §. III.

(*l*) *Part. I. Dec. CII. n. 3.*

(*m*) vid. IO. HENRIC. BÖCLER dissert. IV. *cui titulus* THEODORICVS *ostrogothorum rex. tom. II. op. pag. 102. sq.*

(*n*) De origine, nomine & sedibus gentis vagae vid. HERT. *in notitia regni francici cap. I. §. 2. sq. Vol. II. Tom. I. opusc. p. 228. sq. add.* IO. FRIED. CHRIST *de rebus Langobard. ante expedit. in italia.*

coepit, poſt DESIDERIVM vero A. DCCLXXIV. in franciam abductum, ad francos translatum fuit, animo intueor, neque nomine, neque re ipſa, qualiscunque etiam horum regnorum forma fuerit, eandem perſpicere poſſum ſtructuram, quam vetus romanum imperium habuiſſe ſupra dixi, fefelliſſe etiam & falſi omnes, qui ſibi aliisque aliquando perſuadere voluerunt, francorum regem CAROLVM, qui, ob res magnas praeclare geſtas, MAGNI nomen meruit (*o*), ex quo a LEONE III. pontifice romano. A. DCCC. conſentiente & adplaudente populo romano, imperator romanus renunciatus fuit, germaniam, partim pactis ſibi deuinctam, partim armis domitam, imperatorio nomine rexiſſe, eo magis mihi ſemper viſi ſunt, quo grauiores ſunt rationes, quibus demonſtrari poteſt, ipſum CAROLVM eiusque ſucceſſores, non alio, quam belli & victoriae iure, tanquam regem francicum (*p*), germanis ſub poteſtatem ſuam redactis, ad conſuetudines tamen & mores eorum (*q*), imperaſſe. Quae autem, domo re-

(*o*) vid. BÖCLER. res CAROLI M. breuiter ſtrictimque enarrantem. *tom. II. op. p. 138. ſq.*

(*p*) De nomine & origine gentis regnique initio, vid. HERT. *in notit. regni francici cap. I. §. 2. ſq. Vol. II. tom. I. opuſc. p. 228. ſq.* add. GVNDLING *diſſert. de ſtat. reip. ſub.* CONRADO I. §. I. not. a & b. & *in Gundlingianis Part. II. N. II. p. 234. ſq. Part. VI. N. IV. p. 61. ſq. Part. IX. N. I. p. 295. ſq.*

(*q*) An ex indulgentia & beneuolentia, qua ſubditos ſibi potius, quam imperio deuinctos & obſequio obſtrictos reddere voluit, an, quod antiqua germanorum, ſaxonum inprimis (vid. CHRISTIAN. HANAC. *primord. ſuperioritat. territor. ſaxon. §. 3. ſq.* libertas altiſſimis defixa radicibus, abſolutum imperium non tulit, mihi perinde erit, laudat tamen PAVLVS DIACONVS *de epiſc. eccles. metens. p. 289.* indulgentiam CAROLI in langobardos, quod vniuerſam hanc gentem ſine graui praelio ſuae ſubdiderit ditioni,

regnatrice cum ſtirpe carolidarum extincta, ſub OTTONE I. magno facta eſt coalitio imperii romani, cum regno germanico, eiusmodi generis eſt, quae vtriusque regni iura, fines & rationes, inuicem non commutauit, cum omnia haec integra prorſus ac ſalua permanſerint, adeo quidem, vt, quamuis germanis & ſibi regem & Italiae imperatorem vna opera deligendi facultas & ius aeternum attributum ſit (*r*), ipſam tamen inaugurationem diſtinctam ſemper retinuerint. Extinctis poſtea Ottonibus, praeter alias cauſas (*s*), impar ſucceſſorum potentia locum dedit, vt respublica germanica, cum imperio romano adiuncto, eam leniter formam induerit, quam hodierno tempore perſpicere licet, quae, ſiue germania vt vna respublica, cum VLRICO OBRECHTO (*t*) & KVLPISIO ad MONZAMBANVM (*v*), conſideretur, ſiue cum MONZAMBANO i. e. PVFENDORFIO & TITIO (*x*), pro foederata ſocietate, ſiue cum aliis pro fluctuante inter vtramque ſpecie habeatur (*y*), a formula veteris imperii romani tot paraſangis diſtat, vt adſenſu meo nunquam

&, quod raro fieri adſolet, CLEMENTI moderamine victoriam temperauerit.

(*r*) vid. *can. XXIII. diſt. LXIII.*

(*s*) v. HERT. *de orig. & progr. ſpecial romano-germ. imp. rerumpubl. §. IIX. ſq. Vol. I. tom. II. op. pag. 25. ſq.*

(*t*) *Diſſert. de vnitate reip. in S. romano imperio.*

(*v*) *Part. II. pag 193.*

(*x*) *In ſpecim. iur. publ. lib. VII. c. IX.*

(*y*) vid. HERT. *de notitia ſingular. reip. Vol. I. tom. II. op. pag. 4 ſq. & de origine ac progreſſu ſpec. romano-germ. imper. rerumpubl. Vol. II. tom. II. pag. 49.* nec non *de ſpecialib. rom. germ. imper. rebus publ. eorumque diuerſis nomin. ac iurib. Vol. I. tom. II. pag. 81. ſq.* add. B. TREVER *de ſtudiis imperii rom. germ. ruin. procur. c. 1. §. 8. & de ſtudiis nimiae libertatis circa ſtatus imper. ruinam imper. R. G. minantibus.*

quam adprobare quiuerim, opinionem illam, quae communis olim fuit, quod nimirum ex re & vero imperium romanum ad noſtra vsque tempora perdurauerit, neque futurum ſit, vt, quemadmodum diuina vaticinia perhibere dicuntur, ante hunc mundum diſſoluatur (z).

§. X.

POTESTAS IMPERATORIS IN GERMANIA.

Enimuero tantum abeſt, vt vinculum iſtud, quo ſub OTTONE I. proceres regni germanici cum ſumma poteſtate connexi fuerunt, multum licet ex eo, per varias temporum viciſſitudines & ciuilium rerum conuerſiones, quibus ad noſtra vsque tempora obnoxium fuit, laxatum ſit, omnino diſſolutum eſſe exiſtimem, vt firmiter potius ſemper mihi fuerit perſuaſum, valde errare eos, qui minuta corpora, quae in germania cernuntur, ſiue ſub *regionum*, ſiue ſub *ſpecialium rerumpublicarum* nomine deſignentur, imperatoris & imperii intuitu, prorſus fere independentia facta eſſe, adſerere non dubitarunt, cum certo certius omnique exemtum ſit dubio, ſecundum leges fundamentales imperii, eum hodierno adhuc tempore ſupereſſe cum ſummo imperii capite nexum, vt ſtatus imperii imperatoribus pertaeſum eſſe, ex vero dici non poſſit, quos nec membra imperii, lingua ſe nuncupare pudet, nec imperatori tanquam ſummo imperii capiti obſequium praeſtare dedecet. Veruntamen eam poteſtatem imperatori noſtro adſerere, quam OCTAVIVM olim AVGVSTVM habuiſſe conſtat, aut eadem iura eidem vindicare, quae carolingici imperatores, belli

(z) vid. H. GROT. *L. II. de I. B. et P. cap. IX.*

belli ac victoriae iure in germania exercuerunt, eo magis vereor, quo magis alienus ſum a more ingenioſorum ad comminiſcendum mendacium hominum, qui olim ab eo potiſſimum tempore, quo ius romanum in ſcholis germaniae tractari coepit, vt palpum imperatoribus obtruderent, *abſolutum* imperium principum romanorum ad germanorum reges & imperatores translatum fuiſſe, de ſua ſententia commenti ſunt, quibus diu ſatis & prolixe id creditum fuit, vt contraria ſententia pro haeretica propemodum, ſeditioſa & ſtatui reipublicae germanicae infeſta habita ſit, donec viri patriae libertatis amantes & ſtudioſi, hiſtoriasque tam romanas, quam germanicas egregie docti, rationibus ſat grauibus, germanicum noſtrum imperium, nequaquam actu pro romano habendum eſſe, euicerunt, & vbique fère communis contrariae opinionis commenta deleuerunt (*a*).

§. XI.

REGIONVM PROVINCIARVM ROMANARVM ET TEVTONICARVM DISCRIMEN.

Quamobrem, vtut terrae tractus, in quos germania diuiſa eſt, apud eos, qui latine loquuntur, *regionum*, *prouinciarum* & *territoriorum* nomine adpellari coeperunt, pridem

(*a*) Eo pertinet, quod imperii ordines RVDOLPHO imperatori obiecerunt, apud HYPOL. a LAPIDE *de rat. ſtat. p. I. c. 10. p. 160.* es ſey ſich des orts mit der iurisdiction und rechten, wie ſie die lateiniſche Kaeyſer gehabt allerdings nicht aufzuhalten, alldieweil Kayſerl. Maieſt. gutes wiſſen habe, daſs es mit dem deutſchen reiche, deſſen ſtaenden, gliedern und vnterthanen, einen groſſen vnterſcheid gegen die alten lateiniſchen habe und haben ſolle.

pridem tamen explosi sunt, qui praefectis praetorio, praetoribus, praesidibus, similibusque romanis magistratibus status imperii comparare instituerunt (*b*), quorum tamen supremam, tam in ecclesiasticis, quam politicis competentem potestatem, regiones suas gubernandi, quae licet vniuersae reipublicae subordinata sit, longo tamen alio sensu, quam iurisdictio magistratibus romanis, *suo & proprio iure* iis attributa est, ex eo maxime tempore, quo per pacem Westphalicam & capitulationes caesareas complementum accepit, maiestati adeo analogam, liberam & absolutam esse coepisse, constat, vt tantum non territorii dominis, quidquid animo suo collibuit, siquidem sine imperii & communis salutis detrimento fieri possit, in territoriis suis liceat, donec restrictio, vel imperii legibus, vel pactis cum subditis (*c*) facta, probari potest; aequiori igitur lance politicam imperii romano germanici formam metiuntur, qui adstrictiorem imperatoris germanici potestatem & iurium maie-

(*b*) vid. B. Cancell. BÖHMER *tom. I. Ex. XXII. de maiest. imp. magistr. maior. apud. roman. cap. 1. §. 1. not.* (*c*) *p. 976.* inde adsimilatio legum prouincialium, quae cum edictis praetorum a TREVTLERO aliisque facta est, parum decora videtur. HERT. *de super territ. §. 25. Vol. I. tom. II. op. p. 254.*

(*c*) Quanquam literae reuersales, quas vocant, saepe solemnitatis tantum & dicis gratia dari solent. LVDOLF *de iure foem. illustr. Part. II. c. II. n. 18. p. 103.* easque in praxi parum iuuare, sua iam aetate KLOCKIVS *de contribut. cap. 8. n. 40.* monuit; vix tamen a me impetrare possum, vt principes & status imperii legibus quoque naturalibus, quae fidem pactis datam seruare praecipiunt, solutos esse, defendere ausim. vid. PETR. MVLLER. *diss. de litter. reuersal.* B. RHEINHARD. *obs. X. ad* CHRISTIN. *Decis. Vol. I. p. 15.*

maieſtatis exercitium tantopere temperatum agnoſcunt, vt ſtatus imperii *iure ſuo*, propria territoria regendi, nec exuere, nec quidquam de eo deminuere queat. Quid? quod ſua iam aetate REINKINGIVS (*d*) faſſus eſt, ſubditos mediatos, arctiori obſequii vinculo regionum dominis, quam ipſimet imperatori obnoxios eſſe (*e*). Quandoquidem vero caeſarea maieſtas in germania eam plenitudinem non continet, vt extra limites, quibus per leges imperii terminata eſt, quocunque velit, euagari poſſit, facile eſt ad intelligendum, cur mandata caeſarea in germaniae regionibus, eandem vim, principes & ſtatus imperii eorumque ſubditos, obligandi ad parendi neceſſitatem, non habeant, quam iuſſis principum romanorum, per vniuerſum orbem romanum attributam fuiſſe, ſupra (*f*) dixi. Quod autem iuſſum ratum atque firmum non erit, ſi imperator ipſe iuſſerit, id multo minus effectum habere poteſt, ſi a conſtatu imperii decretum fuerit, cum ſingulorum dominorum imperandi iubendique in aliquo territorio poteſtas, proprii territorii cancellis, ſic incluſa ſit, vt extra illos non facile prorogari queat.

§. XII.

POTESTAS DOMINI REGIONIS ORDINANDI IVDICIA ET CONSTITVENDI IVDICES.

Quemadmodum autem in ſingulis regionibus domini eorum, non nudum duntaxat ſummi imperii exercitium, ſed ipſum imperium, ſub nomine *ſuperioritatis ter-*

(*d*) *De reg. ſec. & eccles I. claſſ. 5. c. 5. n. 65.*

(*e*) vid. HERT. *de ſubiect. territor. §. XX. dict. Vol. I. tom. II. op. p. 394.*

(*f*) *§. IV. lit. e.*

territorialis (*g*) der landes obrigkeit & landes furstlichen obrigkeit (*h*) sibi recte adserunt, ita hoc quoque in iure dicundo iis denegari nequit, quare non tam *iurisdictionem* (*i*), *mixtumque* & *merum imperium*, qua magistratuum fuit apud romanos, quam ipsum *ius iudiciorum* habent, & hoc quidem non ad nutum alterius & alieno nomine, sed longe vtique sublimiori & *patrimoniali* quodam, seu *proprio iure*, eo significatu, exercere possunt, vt singulis regionum dominis liberum sit, an ipsimet summi in iure dicundo imperii exercitium, quod frequentius olim, rarius hodie (*k*) fieri solet, sibi adserere velint, an vero iudiciis & iudicibus siue magistratibus a se constitutis hanc potestatem delegare velint (*k*), ipsi vero subditi non alibi, quam in iudiciis domini sui conueniri possunt, vnde nec potestas iurisdictionem in exteros prorogandi, obnitente regionis domino, iis conceditur. (*l*) Nam actor forum rei sequi tenetur in ea regione, vbi hic sedem fortunarum suarum fixit, nisi alia iusta adsit causa, ob quam exterus, qui potestatem vocandi & cogendi habet, subditum alterius regionis ad

(*g*) vid. B. TREVER *de origine nominis superioritatis territorialis ex gallia arcessenda. §. 5. sq.* dissent. HERT. *dissert. de superiorit. territ. §. 2. Vol. I. tom. II. op. p. 187.* qui ex italia nomen deducit.

(*h*) TREVER *c. l §. XI.*

(*i*) Quia cum primordiis superioritatis territorialis ipsum nomen non innotuit, mirum non est, veteres ICtos praeter nomen regalium, iurisdictionis quoque romanae, merique & mixti imperii significationem ad superioritatem territorialem, quamuis inepte, transtulisse.

(*k*) vid. B. Cancellar BÖHMER *dissert. de maiest. imp. magistrat. maior. apud roman. cap. II. not. (s) pag. 993.*

(*k*) vid. Consult. Dn. STARCK. *diss. de foro arest. priuileg. §. II.*

(*l*) *cit. dissert. §. XXVII.*

ad ſua iudicia trahere poteſt, & ridendi omnino ſunt, qui decempeda iuris romani iurisdictionem hodiernam in germania metiri, eiusque indolem, ex legibus ad ſtatum reipublicae romanae adcommodatis, formare volunt. Quid? quod inutiles & pernicioſos eſſe ICtos, MEVIVS (m) ait, qui de hodierna iurisdictionis forma ex legibus romanis cenſent & diſputant (n). Cum itaque ſecundum inſtituta & iura domeſtica regionum domini, maxime cognitionem de rebus in regione ſitis, ſibi iam inde ab antiquiſſimis temporibus vindicauerint (o), facile perſpicitur ratio, cur earum rerum intuitu, quas actor coram iudice, vbi ſitae ſunt, petere debuiſſet, executionem ſententiae ab extero latae, aut translationem rerum in aliud territorium, vel nunquam vel difficillime ſaltim permittunt (p).

§. XIII.

IVDICES IN GERMANIA MAIORES ET MINORES IVRISDICTIO GERMANICA.

Ingens & inſignis diſſimilitudo, in ipſa politica imperii romani & germanici regni ſtructura, varietatem iuris, circa iudices & magiſtratus, eorumque iurisdictionem & modum explicandi, habet maximam, ob quam in placitis quiritium non ſemper quieſcendum, ſed magnopere ab iis recedendum eſt (q). Vnde, licet peregrini iuris diuiſio in iudices *maiores* & *minores*, apud nos exulare,

(n) *Part. IV. D. CCXC. add.* B. Cancell. BÖHMER *de maieſt. imp. magiſtr. maior. apud roman. c. II. §. I. not. 6. tom. I. Ex. p. 975 & ſupr. §. X. not. a.*

(o) *cit. diſſert. §. XXIV. & XXV.*

(p) vid. *§. ſq. XIV.*

(q) vid. CHRISTIAN. THOMAS. *de iurisdict. & magiſtr. differentia ſecundum mores germanor.*

lare, iuris quidpiam obtinuiſſe videtur, ſedulo tamen a furore illorum cauendum eſt, qui ipſos regionum dominos inter magiſtratus maiores retulerunt, immemores, quod coniuncta apud romanos cum voce magiſtratus notio (*r*) huiusmodi dependentiam contineat, quae quam minime conuenit dependentiae, quam regionum domini in germania, non niſi ſalua ſuperioritate territoriali, admittere tenentur (*s*), quod ſi vero ad inaequalem iudicum in germania auctoritatem & iuris dicundi efficaciam reſpicimus, nihil obſtat, quo minus iudices a regionum dominis conſtitutos, alios *maiores*, alios vero *minores* eſſe dicamus, pro diuerſo ſcilicet gradu poteſtatis (*t*), quam is, qui eos conſtituit, cuilibet eorum indulſit, (*v*) praeterquam enim, quod in receſſu Imperii nouiſſ. de A. 1654. diuiſionis, *in der Staende hohe und niedere gerichte*, expreſſe fit mentio, experientia quoque teſtatur, multos etiam in germania iudices tam amplam & excelſam in iure dicundo poteſtatem nactos eſſe, quae prope ad maieſtatem magiſtratuum maiorum apud romanos accedit, licet nec edicta condant, nec fingendi poteſtatem habeant, ſed interpretes legum rationales potius, quam iuris conditores ſint (*x*). Siue autem maiores

(*r*) vid. *ſupr. §. V. not.* (*n*)

(*s*) vid. B. Cancell. BÖHMER. *cit. diſſ. c. 11. §. 1. not. 6. in fin. p. 975.*

(*t*) Recte monet TEXTOR *diſp. 2. ad Rec. Imp. de Ao. 1654. §. 6.* quod verba, quibus caeſar cit. §. 6. ſtatuum dicaſteria diuidit in die *hohe und nieder Gerichte*, non in ordine ad obiecta, vt in diuiſione iurisdictionis, qua *alta* a *baſſa* ſegregatur, ſed potius reſpectu *gradus*, quo hoc vel illud iudicium ab ordinibus, vt ſingulis, eſt conſtitutum, interpretanda ſint.

(*v*) vid. BÖHMER *cit. diſſ. §. 2. p. 979. ſq.*

(*x*) *Idem c. l. §. IV. ſq. pag. 991. ſq.*

res ſint iudices, ſiue minores, omnes iurisdictionem habent, quae, ſicut non ſola cognitione & iudicatione abſoluitur, ſed poteſtatem etiam cogendi & exequendi continet, ſi ita regionum dominis viſum fuerit, quorum arbitrio relictum eſt vnice, decernere, quantum poteſtatis ſinguli iudices exercere poſſint, ita quorumlibet iudicum officium, ex regula (y), tribus his partibus abſoluitur, vt cognoſcant, iudicent, & exequantur.

§. XIV.

MODVS IVRISDICTIONEM EXPLICANDI TERMINI IVRISDICTIONIS.

Quod ad modum explicandi iurisdictionem germanicam attinet, nihil minus maioribus noſtris placere potuit, quam iuris ſui conſequendi cauſa, curſare huc & illuc, igitur ſimplex potius & leuis via nullo non tempore adriſit, qua, neceſſe non eſt, perplexo itinere in principio litis ad praetorem ire, deinde, pedanei iudicis notione finita, ad eundem redire. Neque facile hodie quenquam vota facturum eſſe opinor, vt perquam difficilis ac tortuoſus modus exercendi iurisdictionem apud roma-

(y) Quia ipſe princeps, cui ius conſtituendi iudicem competit, regulae non ſtricte adligatus eſt, facile intelligitur ratio, cur non ſemper iudices in germania exercitium omnium partium iurisdictionis habeant, neque tamen propterea iudices eſſe deſinunt, quibus vna alteraue iurisdictionis pars non adtribuitur, quoniam & is iudex eſſe poteſt, cui minima tantum pars iurisdictionis conceſſa eſt, ipſi vero iurisdictioni germanicae imperium, ſiue cogendi & exequendi poteſtatem ineſſe, innuit vocabulum *gerichtszwang*, quod in vernacula nihil aliud, quam iurisdictionem ſignificat. vid. Perilluſtr. Dn. PVFENDORF. *de iurisd. germanor. Part. I. c. I. §. 2. ſq.*

romanos vſitatus, in iudiciis germaniae introducatur, quid enim circuitione & anfractu opus eſt, vbi recta via ad iudicem iter conficere licet. Non opus eſt longius immorari huic iuris dicundi rationi, cuius non vſum pluribus rationibus dudum demonſtrauit Ill. Dn. CAROL. GOTTLIEB KNORR (z). Equidem certis quoque, ſed non iisdem circumſcribitur regionibus iurisdictio in germania, quibus apud romanos terminata fuit, diuerſa enim imperii formula, diuerſos quoque limites iurisdictioni poſuit, quibus arctiſſime adſtringitur, ne longius, quam diuerſa reipublicae germanicae ratio & indoles permittit, euagetur, territorialis imprimis iurisdictio ſingulorum territoriorum finibus ſic incluſa eſt (*a*), vt eos impune transilire non liceat, eſtque horum finium turbatio eo magis declinanda, quo perniciosiores eſſe poſſunt contentiones de iis inter vicinos oriundae (*b*). Quamuis igitur ſumma imperii romano germanici dicaſteria, ampliſſimum in iure dicundo gradum adſcenderint, vt nulli ſtatui imperii liberum ab eorum iurisdictione ſe eximendi arbitrium concedatur (*c*), qui omnes ad obſequium, mandatis, citationibus aliisque decretis horum dicaſteriorum, prae-

(z) Diſſert. *de vſu practico doctr. roman. de praetore & iudice pedaneo.*

(*a*) vid. ſupr. §. *XII.* CHRISTIAN. AVGVST. MENII *diſſert. de finibus territorior. von landes graenzen.* & HENRIC. HILDEBRAND. *de viſitat. finium prouincial. von beſichtigung der Landes- und herrſchafftlichen graenzen.*

(*b*) PVFENDORF. *de I. N. & G. L. IV. c. VII.* §. *XI.* aliquando turbationem finium territorialium in crimen laeſae maieſtatis incidere, docet Ill. LEYSER *med. ad Dig. ſpec. XVI. m. 6.*

(*c*) *Capitulat.* CAROLI VII. & FRANCISCI *art. XVIII.* §. 1.

ſtandum adſtringuntur, licet directo in territoriis ſtatuum, nulla domini regionis praeuia requiſitione, citauerint, certis tamen nihilominus imperii legibus inſtruuntur, ne pro lubitu in ſtatuum territoria irruant, euocando eorum ſubditos, contra priuilegia primae inſtantiae & de non appellando conceſſa (*d*), quod autem iudiciis, ſummum imperii caput repraeſantibus, non licet, id multo minus libere debet ſtatui imperii, quippe quem prorſus non decet contra mores maiorum inſtitutaque, alterius ſtatus ſubditos ad ſua tribunalia euocare (*e*), quamuis aliquando, aequitatis ratione id ſuadente, poteſtate euocandi alterius ſubditos non deſtituatur, ſiquidem haec cum cogendi facultate, ad firmandum forum omnino neceſſaria, coniuncta ſit (*f*), qua deſtituta, nec *continentiae* cauſarum praetextu, quae alias duos pluresque reos diuerſarum iurisdictionum, imo plures nonnunquam actores ad vnum iudicem trahit, exigere poteſt, vt alterius territorii res vel perſonae notioni ſuae ſubiiciantur, vel a ſuo domino requiſito ad exterum forum remittantur, cum dominorum regionum interſit, in huiusmodi iurisdictionum conflictu, cauſae connexitatem, ceſſante ſupremorum imperii tribunalium iurisdictione, diuidi potius, quam vt, ſubditos ſuos ad exterorum tribunalia euocari, patiantur, licet longe aliter ſe habeat intuitu diuerſorum iudicum, qui in vnius domini regione iudicia exercent,

(*d*) *Cap.Caeſar. art.XV*III. §. 5. *ſq.* vid. *Conſult.* Dn. STARCK *de foro areſt. priuileg.* §. *XXIII.*

(*e*) vid. Dn. STARCK. *cit. diſſ.* §. *XXIX.* add. V.C. Dn. ERNESTI MARTINI CHLADENII *progr. de abuſu bullae brabantinae. Vitemberg. MDCCXLVII.*

(*f*) *ſupr.* §. *XII.*

cent, cum enim domini territorii ſit ſtatuere, quid iudices in ſuo territorio poſſint, quousque, in quas perſonas & cauſas iurisdictionem ſuam exercere debeant, tota res a voluntate eius dependet, quousque, ob continentiam cauſarum, ſubditos ex vna iurisdictione in aliam trahere liceat, ſiue autem voluntas haec ſit expreſſa, ſiue tacita, nihil intereſt, & tacita quidem voluntas etiam ex eo colligi poteſt, ſi quidem vſum iuris peregrini in his iudiciis generatim ſemel admiſit, nec ſpeciatim intuitu competentiae fori, quod huic iuri contrarium eſt, ſanciuit.

§. XV.

IVDICIS GERMANICI DEFINITIO.

Reprimam iam & non inſequar longius, eoque minus, quo plura aptius infra eo loco dici poſſunt, quo, de competentia iudicis in concurſu creditorum, mentem meam declarare conſtitui. Cum iudicis autem vocabulo eam nunc notionem coniungo, quae eidem apud germanos (*g*) adligata eſt, vt intelligam perſonam publicam a ſummo imperante ad id conſtitutam, vt ſubditis ius dicat, & legum vigorem contra eius violatores tueatur (*h*). Vtut enim in germania eadem non ſint *ius dicere* & *iudicare*, tamen, quemadmodum, vt dixi (*i*), ante receptionem iuris iuſtinianei & hodienum apud germanos idem eſt & is, qui ius dicit, & is, qui

(*g*) In vernacula olim graue WEHNER *obſeru. tract. voce grafſchaff, grauen. p* 193. MEYSTER *vt idem c. l. voce meiſterſchafft pag.* 362. *ex ſtatut. municipal. Bamberg. probat.*

(*h*) GVNDL. *tit. de iudic.* §. 7. *tom. I. Exercit. pag.* 950.

(*i*) §. praeced.

qui iudicat (*k*); ita nihil impedit, quo minus *magistratus* nomine *iudices* in germania designemus omnes, siue iurisdictioni duntaxat personali, quae muneri cohaeret, praediti sint, siue eam cum patrimonio, ex causa vel venditionis onerosa, vel lucratiua priuilegii, inuestiturae, alioue iusto titulo adquisiuerint, siue longa aut immemoriali annorum serie bonis antecessorum vel parentum adfixa fuerit (*l*), quanquam ea, qua magistratus romani pollebant, fingendi, edictaue condendi potestate destituti, tanquam rationales legum interpretes, de facto tantum iudicant & ius dicunt, ad normam, legibus vel moribus determinatam, seuerissime ab omnibus eo magis custodiendam, quo minus, iudices ipsius imperantis summum imperium in iure condendo sibi arrogare posse, vlla lege vel consuetudine introductum esse, me audire vel legere memini.

§. XVI.

CONCVRSVS CREDITORVM DEFINITIO.

Priusquam de competentia iudicis in concursu creditorum dicere adgrediar, ante omnia, quid per concursum creditorum intelligam & quotuplex sit, quemue effectum producat, breui dispiciendum est; neque tamen prolixiori vocum *concursus* item *creditorum* explicationi etymologicae immorari operae pretium esse existimo, cum satius sit, ipsi rei enucleandae incumbere, & ad realem definitionem statim progredi.

(*k*) VVLT. *L. I. de iudic. c. IV. n. 7. pag. 40.*

(*l*) vid. BVRCKHARD. GOTTHELF STRVV. *de praescript. iurisdict. territor.*

di. Est autem concursus creditorum nihil aliud, quam *conflictio siue contentio, qua plures actores de bonis communis debitoris & rei inter se decertant, cui prae alio ex iis satisfieri debeat.*

§. XVII.

CONCVRSVS ORIGO ET INITIVM.

Conflictio haec trifariam (*m*), fere oriri potest. *Primum*, si, vno ex creditoribus agente, reliqui de iure suo & praelatione soliciti interueniunt, quod iure permittente fieri potest, modo fraus absit, nec ad remorandam duntaxat executionem interuentio, vt plerumque ab vxoribus fieri solet (*n*), suscipiatur (*o*), sola autem creditorum existentia creditori vigilanti, paratamque executionem petenti, frustra obiicitur (*p*). *Deinde*, quan-

(*m*) De concursu creditorum; qui eum in finem fit, vt ipsi creditores, vel de dilatione moratoria debitori concedenda, in vnum conueniant, vel communi consensu, aut maioris saltim partis voluntate, quota parte debiti contenti esse velint, declarent, mihi heic sermo non est. *vid. L. 7. §. fin. & LL. sq. D. de pact.* REFORM. FRANCOFVRT. *P. II. Tit. XXVII. §. VIII. sq.* LYNCKER. *in Comm. ad Dig. tit. de pact. §. 15. p. 391. & in protrib. sect. IV. delibat. XII. n. 14. sq. p. 110.*

(*n*) vid. HERT. *Epidipnid. paroem. par. XXI. Vol. II op. tom. III. pag. 449.* STRYCK, *intr. ad prax. for. c. XXIV. §. V.* PVFENDORF. *introd. ad proc. ciuil. Brunf. Luneburg. Part. V. c. I. §. XIX. p. 642. sq.*

(*o*) Quem abusum Reform. Francofurt. P. I. Tit. XLIIX. §. 2. his verbis reprehendit, nachdem aber darunter diese Vnrichtigkeit sich befindet, dass sich offtmahls zutraegt, wann andere creditores zeitlich geklaget, auch ihre sache biss zur execution, vnd dass es allein um den Vorgang zu thun, vollführet haben, noch andere glaubiger, (so mittlerzeit dem spiel, wie es mögt gerathen, zugesehen) und allererst klagen und ihre sache ausführen wollen, *cetera.*

(*p*) MEVIVS *Part. VI. Dec. CCCXVI.* vid. tamen *Part. VIII. Dec. CCCCXI.*

quando a creditoribus ſolutionem vrgentibus, vel forenſis, vel alterius abſentis aut latitantis (*q*) bonis arreſtum imponitur (*r*), vel in praeſentis debitoris bona, qui

(*q*) Qui per edictum publicum, perinde vt fugitiuus, citari poteſt, *clem. I. de iudic.* BERGER. *oec. iur. L. IV. Tit. XXXI. §. 1. not. 5. p. 1182.* quo non comparente, curator conſtituitur, qui creditoribus reſpondeat, & de hinc vlterius in concurſu proceditur. LYNCK. *Dec. 259.* in Saxonia vero, ſi ſententia comminatoria praeceſſerit, contumax debitor pro confeſſo & conuicto declaratur, atque adeo inſtrumenta pro recognitis & debita pro liquidis habentur, cui conſequens eſt, vt creditoribus ex bonis eius ſatisfieri debeat. BERGER. *c. l. not. 7. p. 1182.* An autem contumacia debitoris, ob quam ante concurſum, ad ſoluendum condemnatus eſt, creditoribus noceat, inter ICtos controuerſari memini, in aientem ſententiam ICtos Lipſienſes Menſe iunio anno MDCCVI. pronunciaſſe, refert BERGER. *in ſupplem. ad elect. diſcept. for. Part. I. pag. 475.* quorum ſententiam, cum ſolida decidendi ratione, in autoritate rei iudicatae fundata, innixa ſit, calculo meo adiecto adprobare eo minus vereor, quo elumbiores ſunt rationes, quibus BERGERVS ſibi aliisque perſuadere voluit, contrariam negantem ſententiam & veriorem & aequiorem eſſe. Quod ſi enim ſententia in contumaciam lata, ipſi debitori *perpetuo* obſtat, quod BERGERVM inuitis dentibus largiri oportet, nulla ſufficiens ratio eſt, ob quam non aeque creditoribus poſt eam concurrentibus, obſtare debeat, quos in locum debitoris ſuccedere, certo certius eſt, ita quidem, vt, ſicut omnibus debitoris iuribus gaudent, ita quoque nullis aliis iuribus & exceptionibus vti poſſint, quam quae ipſi debitori adhuc competunt, quamobrem, vt paſſum liquidi, quem ipſe debitor, in diſceptationem ob rei iudicatae autoritatem amplius vocare non potuit, fruſtra diſputare mihi videntur, ita multo minus exceptionibus, quas iudex debitori ante concurſum ſemel abiudicauit, iuuari poſſunt.

(*r*) Sufficit ad formandum concurſum, ſi areſtum a duobus creditoribus petitum ſit. WERNHER. *obſ. ſelect. Part. IV. obſ. CXLVI.*

qui non ſoluendo exiſtit, executio petitur (*s*), tum enim iudex, ſiquidem debitor, quomodo aes alienum expungere velit, demonſtrare non poſſit, contra voluntatem, cum vnius alteriusue *creditoris*, contra concurſum proteſtantis (*t*), tum ipſius *debitoris*, concurſum formare poteſt, licet hoc ex regula prohibitum ſit (*v*). *Poſtea* ſi ipſe debitor qui aere alieno grauatus ſoluendo eſſe deſiit (*x*), vel haeres eius (*y*), qui vel ſpatium ad deliberandum impetrauit, vel hereditatem cum beneficio inuentarii adiit (*z*), cum oblatione ad bonorum ceſſionem, creditores conuocari petit (*a*). Quia enim bonorum ceſſio concurſum ſatis indicat, conſequens eſt, confeſtim eum ex eo tempore oriri, quo creditor bona

(*s*) *L. 2. D. de curat. bon. dand.* GRIEBNER. *princ. proc. iud. L. II. c. IX. §. 1. p. 298.* BERGER *oec. iur. c. l. §. 1. not. 1. pag. 1181.* iudicis igitur arbitrio relictum non eſt, vt creditores ad liquidandum citare & concurſum creditorum formare poſſit, ſiquidem ex his nemo ſolutionem vrgeat. LVDOVICI *concurs proceſs c. 1. §. 3.* RIVINVS *ad O. P. S. Tit. XLI. En. I.* vid. PVFENDORF. *c. l. Part. I. c. IV. §. XXXVII. pag. 59.*

(*t*) LVDOVICI *c. l. §. 2.*

(*v*) MEVIVS *Part. I. D. CXII.* BRVNNEM. *de concurſ. creditor. c. I. §. IV.*

(*x*) BERGER. *c. l. not. 1. p. 1181.* HERT. *reſp. CXIII. n. 14.*

(*y*) Herede debitoris non adparente, curator bonorum conſtituitur, & concurſus creditorum formatur. WERNHER. *ſelect. obſ. Part. V. obſ. LXXXVII. pag. 133.*

(*z*) Regulariter diſcuſſionis proceſſus, qui ſuper inuentarii beneficio, ad diſcutiendas vires hereditatis inſtituitur, *vniuerſalis* eſt, ad quem vnus vel alter creditorum, qui diſcuſſionem petit, remittendus eſt, ſed fallit hoc, ſiquidem heres ſuper viribus hereditatis, cum vno ex creditorum in ſeparatam diſceptationem deſcenderit. MEV. *Part. II. D. CCL.*

(*a*) BRVNNEM. *de conc. cred. c. I. §. I. ſq.*

bona sua a se abdicauit (*b*), iure autem patrio, vt omnis via fraudulentae debitorum machinationi praecludatur, haec bonorum cessio priuato ausu fieri nequit, sed praeuia causae cognitione & praestito iuramento (*c*), iudicialis concessio requiritur. (*d*)

§. XVIII.

DIVISIO CONCVRSVS IN MATERIALEM ET FORMALEM, VNIVERSALEM ET PARTICVLAREM.

Quando igitur duo pluresue creditores quidem instant, nec dum tamen arestum in bonis debitoris impetrauerunt, aut debitor ipse bonis nondum cessit, licet iam non amplius soluendo sit, ad peculiares tamen quosdam iuris effectus producendos, concursus initium nondum sumsisse videtur (*e*), nisi praeterea cessio vel simile quid accesserit, nata est inde diuisio concursus in *materialem* & *formalem*, ille existere intelligitur, simulatque plures creditores instant, hic vero primordium demum capit ab edictali citatione, vel saltim a tempore cessionis a debitore (*f*), aut inhibitionis a iudice

(*b*) MEV. *Part. VI. D. CIV. n. 2.* LEYSER. *med. ad D. spec. CCCCLXXVIII m. 4.*

(*c*) Formula iuramenti *reformat. Francof. P. I. Tit. L. §. VII.* inserta est.

(*d*) vid. *Refor. Francofurt. c. L §. III sq.* verbesserte ordnung über etliche puncten der reformation wie es damit gehalten werden solle cetera de ad 1631. apud autorem der anmerckungen in der ersten Fortsezung p. 621. & die erneuerte und besserte ordnung muthwilliger Banquerottirer und falliter betreffend. §. 1. ibid. p. 623.

(*e*) LYNCKER. *Decis DXVIII.* B. Cancell. BÖHMER. *tom. II. part. II. resp. 987. n. 7. sq.* GODOFR. MOGK. *de vigilant. creditor. membr. II. c. IV.*

(*f*) HERT. *resp. CCXIII. n. 15.* cui cessioni similis quodammodo est

dice factae (*g*). Prout autem concursus vel de omni debitoris substantia, vel de certis duntaxat bonis motus est, & vel omnibus creditoribus patet, vel quidam tantum de prioritate inter se certant, in *vniuersalem* & *particularem* diuidi solet.

§. XIX.

EFFECTVS CONCVRSVS.

Enimuero effectus quosdam *materialis* concursus producit, qui etiam *formali* concursui attribuuntur, quod nimirum debitor, creditoribus instantibus, bonis licet nondum possessis, alienandi potestatem (*h*), amplius non habeat, nec alio modo, siue per solutionem (*i*), siue per hypothecae constitutionem, aut pignoris priuati in publicum conuersionem, vni creditorum in aliorum praeiudicium gratificari possit (*k*), etiamsi iudicis autoritas accesserit (*l*), quippe qui, nisi aliquorum

est datio bonorum omnium in solutum. Perillustr. Dn. PVFENDORF. *tom. I. obs. CLXXIV. pag. 447.*

(*g*) B BÖHMER. *c. l. not. 10.*

(*h*) *L. 6. §. 7. D. quae in fraud. creditor.*

(*i*) STRVV. *S. I. C. Ex. 40. th. 80.* CARPZ. *P. I. c. 28. D. 179.* WERNHER. *obs. select. Part. III. obs. CXLVII. pag. 431.* LYNCKER. *Dec. CXXXII.* si quid solutum fuerit illud condici potest. LYNCKER *D. CCCXXXXVI.*

(*k*) WERNHER. *cit. obs. CXLVII.* ergo concursu formato traditio specierum pecuniae pignoris nomine facta nullius loci habenda. BERGER. *occ. iur. L IV. t. XXXI. §. 1. not. 3. p. 1182.* multo minus ipsi debitori pecunia ex rebus venditis redacta soluenda, sed indicialiter deponenda est. RIVIN. *ad O. P. S. tit. XLI. En. III. & IV.*

(*l*) MEV. *Part. III. c. XXLI.* inde licet adiudicationes & immissiones ante concursum factae ratae maneant, STRYCK. ad BRVNN. *de concurs creditor* c. I.

rum creditorum commiſeratio, fauor & priuilegia aliquando interea quid tribui (*m*), mereantur, imperite adſignando, cauſam ſuam facere poteſt. (*n*). Verumtamen in eo quam maxime inſigne diſcrimen ſe exſerit, quod ſolutio vel oppignoratio, poſt concurſum *formalem* facta, ab omnibus creditoribus, quae vero poſt *materialem* facta eſt, ab his tantum revocari poſſit, qui actionem inſtituerunt (*o*), quemadmodum & *particularis* concurſus eos tantum creditores, qui inter ſe decertant, nec alia bona, quam de quibus lis eſt, concernit, litis etiam pendentiam, cum cauſas alibi pendentes, ad ſe non trahat, non turbat (*o*), quem tamen effectum plerique, quamuis, ſine vlla diſtinctione adhibita, male concurſui vniuerſali attribuunt.

§. XX.

COMPETENTIA IVDICIS IN CONCVRSV EX PERSONA REI.

Quandoquidem vero in concurſu *formali*, nec de liquido cum debitore, nec de prioritate & praelatione

§. 8. ad verb. *non tantum* LVDOVICI *concurs proc. c. 1. §. 6.* vt creditoribus nulla ſe concurſui immiſcendi neceſſitas incumbat. MEV. *Part VII. Dec. CCL. add. Part.* III. *D. CCLII.* modo immiſſio non tantum decreta, ſed effectui quoque data fuerit. MEV. *P. VI. D.* CIII. *& CV.* aliud tamen dicendum, ſi immiſſio inſtante & pendente adhuc concurſu facta ſit, ſicut enim illa ceteris omnibus creditoribus eiusdem tituli vel conditionis prodeſt, ita haec, quatenus in aliorum creditorum praeiudicium facta, tanquam nulla, caſſanda eſt. MEV. *P. IV. D. CCXLII.*

(*m*) MEV. *cit. P. III. D. CXLI. n. 10.*

(*n*) Ill. Dn. LEYSER *med. ad Dig. Spec. CCCLXXVIII. med. VII.*

(*o*) LEYSER *c. l. m. 9.*

tione creditorum inter ſe, cum effectu diſceptari poteſt, niſi coram iudice competente, paulo curatius nunc, quisnam iudex congruus dicendus ſit, excutiendum venit, quamuis enim regula generalis aequitate naturali innixa, ſecundum quam omnis actor rei forum ſequi tenetur, inter plures quoque actores, vt & hi rei forum ſequi obſtricti ſint, fundamenti loco recte ſubſternatur (*p*), illa tamen ſola, ad decidendam rem, quae in diſceptionem vocatur, minime ſufficere videtur, quippe quae, vt bene monuit perilluſtr. Dn. PVFENDORF (*q*), vna viſione definiri nequit. Diſtinctio autem, quam ipſe attulit, an *continentia cauſae*, ob quam in concurſu domicilii forum pro competente, intuitu omnium creditorum, vulgo habetur, actori vel reo *damnoſa*, vel ſecus foret, mihi, quod pace viri doctiſſimi dixerim, rem prorſus conficere non videtur, quoniam enim tam actor, quam reus, inuiti quoque, agere aut reſpondere coram eo iudice tenentur, quem leges ob cauſae continentiam congruum pronunciant, nec reum nec actorem quidquam, ad declinandum hoc forum, iuuare poteſt, adlegatio vel exceptio, ſibi non *expedire* vel *damnoſum* fore, reum heic lite pulſare, aut actionem, quam actor intendit, ibidem ſuſcipere (*r*). Quare alia potius via incedendum & diſcrimen inter concurſum *particularem* & *vniuerſalem* faciendum eſſe exiſtimo.

 §. XXI.

(*p*) vid. Conſult. Dn. STARCK. *Diſſert. de foro areſti priuileg. §. III.*

(*q*) *Tom. I. obſ. iur. vniuer. obſ. CCXXVII. pag. 546.*

(*r*) vid. §. ſq. XXI.

§. XXI.

IN CONCVRSV PARTICVLARI COMPETENS IVDEX DOMICILII.

Quando igitur creditores quidam, vel ſine praeuia ceſſione bonorum, quae in diuerſis locis exiſtunt, debitorem coram diuerſis tribunalibus conueniunt, aut facta ceſſione quorundam bonorum, de praerogatiua inter ſe certant, quin in particulari hoc concurſu alii creditores reum in ordinario foro lite pulſare poſſint, & iſtud ex regula ſequi teneantur, ſine vlla dubitatione adfirmare non vereor. Quamobrem, quia ordinario iure reus forum apud quirites ſortitus eſt, cum in *patria*, tam *communi* i. e. romae, vel vbi alias imperator eſſet (*s*), quam in *propria* i. e. in loco vnde originem traxit, tum in *domicilio*, quod habitatione quilibet ſibi conſtituit, conſequens eſt, vt ibi quoque concurſus particularis excitari potuerit, neque hodie (*t*) alio iure in germania, quod ad particulare habitationis domicilium, vtimur (*v*), contra ſicut formulae imperii romano germanici non conuenit, forum aliquod commune in caeſaris aula, vel coram ſummis imperii tribunalibus ſtatuere, aut his poteſtatem adſerere, ſubditos ſtatuum imperii in prima inſtantia pro lubitu vocare (*x*), ita nec

(*s*) Stante vetere republica, vt romae quis conueniri potuerit, praeſentem eſſe oportuit, quia euocationi locus non concedebatur. *L. 19 pr. D. de iud.* ſed ſub imperatoribus inualuiſſe videtur, vt ad caeſaris iudicium euocari quilibet potuerit, vbicunque caeſar commoratus eſt. *L. 24. ibi. quos princeps euocauit. D. de iudic.* quo pertinet HERODIANI hiſtorici vox vbi imperator ibi roma.

(*t*) vid. Dn. STARCK. *cit. Diſſert. §. 5. ſq.*

(*v*) *cit. Diſſert. §. XXIV.*

(*x*) ſupr. §. XIV.

nec iudicium caesareum aulicum, nec camera imperialis, plures actores, quos forum rei mediati sequi oportet, ex capite continentiae causarum ad se trahere. Poteſt, neque etiam hi reum in loco originis conuenire amplius poſſunt, ex quo alibi domicilium ſibi conſtituit. (y)

§. XXII.

FORVM CONTRACTVS, ET REI SITAE COMPETENS.

Quemadmodum autem per accidens reus quoque forum ſortitur, vel *immediate*, ex ſua perſona, in loco vbi *contraxit* (z), vel *mediate*, in loco *rei ſitae* (*a*), ita nihil obſtare videtur, quo minus debitor communis, qui extra locum domicilii contraxit, ad petitionem plurium creditorum inter ſe concurrentium, vt cuilibet eorum ſecundum praerogatiuam, quam vnus prae altero habet (*b*), autoritate iudicis, qui poteſtatem cogendi & manum iniiçiendi habet, ad ſatisfaciendum eo in loco, vbi contraxit, adigatur, quem etiam in loco rei ſitae, ſiue res, quae petitur corporalis, mobilis aut immobilis, ſiue incorporalis ſit, congredi oportet, ſiqui-

(*y*) Dn. STARCK *cit. diſſ. §. XXIII.*

(*z*) *cit. diſſert. §. X. & XXV.*

(*a*) *cit. Diſſert. §. XIII. XIV. & XXVI.*

(*b*) Ante rem iudicatam par quidem eſt omnium creditorum conditio & ius aequale, nec vnus prae altero ex priuilegio ſuo quid percere poteſt. *L. 6. §. 7. D. quae in fraud. creditor.* MEV. *Part. II. Dec. CCCXLV. n. 8. & Part. III. D. CXLI. nm. 1.* lata vero ſuper prioritate ſententia, tollitur aequale ius, quod antea competiit. STRYCK. ad BRVNN. *de concurſ. cred. cap. I. §. IIX.* ad verb. *communia bonorum. pag 19.* vid. BARDILI *diſſert. de iudic. concurſ. vniuerſ. c. II. §. LXV.*

ſiquidem actiones, quas creditores aduerſus eum intendunt reales, aut realibus ſimiles ſunt, vel praeparatorie ad realem principaliter mouendam inſtituuntur (*c*), eſtque forum hoc rei ſitae maxime competens in illo concurſu particulari, quem excitat creditor aliquis, ſiquidem, fundum a debitore in ſolutum accepturus, metu euictionis citari curet omnes eos, qui ius reale vel hypothecam aliquam in illo fundo praetendunt (*d*).

§. XXIII.

AN ARESTVM FORVM FVNDET.

Quamuis autem vnus actor non quaslibet actiones perſonales in foro rei ſitae, neque romano, neque patrio iure mouere poſſit (*e*), tamen, quando res eo peruenit, vt periclitantibus creditoribus per viam areſti de ſecuritate crediti proſpiciendum ſit, ipſa areſti impoſitio, quae hoc caſu nullo non iure licita eſt, non in realibus (*f*) tantum, ſed perſonalibus quoque actionibus, iudicis rei ſitae iurisdictionem ſic confirmat (*g*), vt coram eo diſceptatio, cum de liquido inter debitorem & creditores, tum de praelatione inter hos, inſtitui

(*c*) *cit. diſſert. §. XIII. & XIV.*

(*d*) BARDILI *de iudicio concurſus vniuerſal. cap.* I. *§. V.* add. BRVNNEM. *c.* *I. d.* X. c.IV.D.LXIII. n. 6. ſq.

(*e*) Dn. STARCK *cit. diſſ. §.* XXIII.

(*f*) Ad has competentiam fori ex areſto recte reſtringit CARPZOV. *L. II. reſp. XXXI. n. 9. & 10.* ſiquidem de regula quaeſtio incidit, nam, quod perſonales quoque actiones aliquando, per areſtum in loco rei ſitae impoſitum, forum fundent, ad exceptiones a regula pertinet.

(*g*) *cit. Diſſert. §. XXVI.*

instituti possit (*h*). Non equidem tam ignarus sum, vt nesciam, quam multi sint ICti, qui de moribus germanorum, quibus licentia procedendi per viam aresti contra debitores, quorum bona in aliquo loco deprehenduntur, ad fundandum forum & litem, ob solam *vtilitatis* aut *expedientiae* rationem, introducendam permissa sit, testantur, quamuis eo loco haud *contractum*, aut alias ex causa, iure communi probata, forum fundatum sit. Verum enim vero, cum nec in constitutione P. P. de A. MCCCCXCV, nec in ordinatione camerali (*i*), quod per viam aresti quempiam a suo iudice auocare, & ad aliud exterum iudicium trahere, licere debeat, me legere memini, prorsus in eam adlicior sententiam, quae negat, per solum arestum ad *litem introducendam* impositum, forum in *personalibus* actionibus competens fieri & iudicis arestantis iurisdictionem prorogari. Nam vtique iudex *situationis* bonorum,

(*h*) Competentiam ad peregendum concursum in foro rei sitae admittit, illustr. LEYSER *medit. ad Digest. spec. LXXII. med. 6.*

(*i*) Vt in constitutione P. P. expressis verbis sancitum legitur: Wer zum andern zu sprechen vermeinet, der soll solches thun an dem ende und gerichten, da die sache hievor oder iezt in der ordnung des cammer-gerichts zu austrag verthediget sind, und künftig werden ordentlich hingehören. *in ordinat. camerali ita de eodem anno Tit. wie Churfürsten, Fürsten und Fürsten-mässige einander zu recht fordern sollen*, disponitur, quod hi ius suum vel coram austraegis, vel in camera imperii persequi, subditos vero suos ad alia, quam ordinaria iudicia, trahere non debeant, verbis: Ein ieder soll sein unterthan in seinen ordentlichen gerichten rechten und obrigkeiten bleiben lassen, und halten, *nach ieden fürstenthumbs grafschafft und obrigkeit löblichen herkommen.* add. capitul. CAROLI VII. & FRANCISCI I. art. XVIII. §. 3.

norum, cessante priuilegio speciali, ad hoc, vt per aresti viam, in his actionibus suam iurisdictionem fundet, forensemque, vt eidem se subiiciat, adigat, quamuis non potentia, *ihn durch einen beschlag zu nöthigen, dass er wegen der seiner iurisdiction vnterworffenen güther oder gefälle daselbst recht nehmen solle*, potestate tamen cogendi, siue facultate legibus concessa, destituitur, nisi alia specialis sufficiens causa adsit, quae hanc ei potestatem attribuere, licitumque arestum, *den beschlag vor erlaubt zu halten* facere quiuerit, cum itaque *periculo*, quod actorem in discrimen rei suae amittendae vocare possit (*k*), & iusta exercendarum *represaliarum* causa cessante, nec non deficiente *speciali conuentione* (*l*), qua quis ad carcerem vel arestum sese obstrinxit, nullum aliud adstruendae potestatis arestandi, in loco *rei sitae*, in quo arestatus nec *contraxit*, nec *deliquit*, funda-

(*k*) Vnde *fugae suspicio*, quia necessitas caret lege, sufficientem vtique causam aresti in loco *rei sitae* decernendi praebet, licet debitor in eo nec *contraxerit* nec *deliquerit*. *L. 7. in fin. D. qui satisd. cog. L. 8. in f. D. de pollicit.* modo immobilia non possideat. Pariter *inopia*, ad quam vergit debitor, postquam bona sua dilapidando consumsit, sufficiens causa est, creditoribus instantibus, per arestum, siue rerum, siue personae ipsius debitoris, prospicere. *L. 22. §. 8. D. solut. matrimon.*

(*l*) vid. MEV. *de arest. cap. VI.* & *part.* III. *D. CCCXV. n. 1.* vbi bene monet, solum instrumentum super debito confectum, ad arestum impetrandum non sufficere, etiamsi creditori satisfieri aequum sit, nisi alia *specialis* causa, quae arestum iustificare possit, accedat, vt enim hoc decernatur, non tantum *an debeatur*, sed etiam, an *per illud exigi debeat?* considerandum est. neque cessante causa *speciali*, effectum prorogandi iurisdictionem, qui ei alias tribuitur, MEV. *p.* III. *D. LVI.* habere potest.

fundamentum designari queat, quam *expedientiae* & *vtilitatis* ratio, dubito an cauillatio aliqua imputari possit ei, qui arestum hac sola ratione innixum, illicitum pronunciat, cuius tamen non nemo in scripto quodam (*m*), eos arguere vult, qui suae sententiae non suffragantur, quem simul in eas difficultates delapsum video, vt, cum alio modo se extricare nequiuerit, nouam distinctionem, quae nemini adhuc in mentem venit, inter ARESTVM, & BESCHLAG excogitare (*n*), necesse habuerit, cum tamen, post paucas lineolas interiectas, ipsemet,

(*m*) Prodiit Ao. MDCCXLIX.

(*n*) §. VIII. vbi sic paratragoediat. *Vnter der arests benennung liegt eine offenbahre cauillation verborgen, dann hier ist kein eigentlicher so genannter arest, wovon die reichs-geseze sprechen.* Quid igitur? *sondern nur ein erlaubter* (petitur quod est in principio) *beschlag.* Potuisset quoque lubrica haec & elumbis defensionis ratio his verbis proponi: *dann hier ist kein eigentlicher beschlag, wovon die reichs-geseze sprechen, sondern ein erlaubter arest* quia *beschlag* in vernacula nihil aliud exprimit, quam quod alias barbare loquentes *arestum* vocant. Nam scire, inquit GAIL. *de arest. imp. c. 1. n. 1.* inprimis oportet, *arestum* barbarum esse vocabulum, vulgariter *in verbott legen, anhalten, zu* (siue quod idem est) *beschlagen.* Vt autem euidentius ad pareat, quam late robur huiusmodi defensionis pateat, hanc speciem ponere liceat: TITIO CAIVS gladio cinctus occurrit, TITIVS ait hunc gladium suum esse, CAIVS negat, gladium restituere recusat, TITIVS glande plumbea eum traiicit, accusatur a fiscali, *dass er Caium aus einer mousquete todt geschossen* in promptu est defensio: *unter der mousquets benennung liegt eine offenbahre cauillation verborgen, dann hier ist kein schuss aus einer eigentlich so genanndten mousquete, wovon die P. H. G. O. und andere criminal geseze sprechen, sondern nur ein erlaubter schuss aus einer Flinte geschehen, um den* CAIVM *zu nöthigen, den degen heraus zu geben, gestalten dann* TITIVS *gar nicht praetendiret hat, dass* CAIVS *davon sogleich sterben soll, sondern es ist nur, nach den bekannten regeln,*

met, diffiteri non potuerit, *daſs dieſer* BESCHLAG *der gefaelle quaeſt. nach denen bekanten reguln der landes hoheit vnd gerichts zwang per viam NB.* ARESTI *ausgeuebet worden*, quemadmodum autem eum iuuare non poteſt, daſs *dieſes die rechtslehrer* (ſub intellige einige) *krafft* der (ſub intellige angeblich) *in ganz deutſchland* (*o*), *eingefuhrten* (*p*) *gewohnheit*, *einen ſolchen beſchlag nicht misbilligen*, *ſondern guth heiſſen* (*q*), quia ſtatus imperii iuſtitiam

das ſeinige zu ſuchen der ſchuſs in der abſicht geſchehen, *Caium zu nöthigen*, *ſolchen heraus zu geben.*

(*o*) Si hoc verum eſt, haſſiae ſitus extra germaniam quaerendus erit, quia PHILIPPVS Magnaminus haſſiae landgrauius in ordinat. iudicii aul. de Anno MDXXVII. tit. XXV. iuſſit. *Daſs man allerdings kein gericht mit verbothen anfahen*, *und in dem fürſtenthumb niemandt*, *er ſey frembd oder haymiſch*, *oder ſein guth gekümmert oder aufgehalten werden ſoll.*

(*p*) Adde. doch aber *wie in vielen andern*, *ſo auch in den heſſiſchen landes-geſezen verbothenen.*

(*q*) Adde. *Obſchohn ſolche gewohnheit in vielen*, *theils ehe und bevor der angezogene* GAILIVS *ſeinen tractat de areſtis imperii geſchrieben*, *theils nachhero publicirten landes und gerichts Ordnungen* vid. Dn. STARCK *diſſ. de foro areſt. priuileg.* §. *XXXIX. n.* (*x*), add. die verordnung des hadel. landger. de Anno MDLXXXII. apud. Ill. Dn. PVFENDORF. *tom. I. obſ. in adpend. pag.* 4. *und inſonderheit in der angezogenen fürſtlichen hoff-gerichts-ordnung aufgehoben*, *in dieſer auch ausdrücklich verordnet worden*, *welcher ſonſt auſſerhalb dieſer fälle kümmert*, *dem ſoll man von ſtund an*, *von unſertwegen*, *ſolchen kummer abſchaffen*, *und den gerichtsambtmann oder herrn*, *darum von unſertvvegen ungnädiglich ſtraffen.* Add. porro GAILIVS *auch ſelbſt in dem angezogenen tractat de areſt. imper. c.* 1. *n.* 12. *dieſe gewohnheit*, *ſo fern ſolche in einem land hergebracht*, *und durch keine ausdrückliche landes geſeze aufgehoben worden*, *anders nicht*, *als mit dieſem* temperamento rationis, vt haec conſuetudo non ſit vaga & indiſcreta, *gebilliget hat. Ueberdem liegt auch unter der benennung eines gieſſer*

tiam adminiſtrare debent, non ſecundum fluctuantes D.D. opiniones, ſed ſecundum obſeruantiam & leges cuiuslibet regionis (*r*), ita non debuiſſet, ſui adeo immemor eſſe, vt, quod heic conſtruxit aedificium, ſtatim (ſaluo tamen iure *expedientiae* ſiue in horas conſilium mutandi & variandi, ſimul atque non amplius expedire videbitur, deſtruxerit (*s*), his verbis: *die iuſtiz laeſſet ſich nicht ſo adminiſtriren, wie es einem oder dem andern am bequemſten vnd vortheilhafften ſcheinet*, (*t*), *ſondern wie ſolches denen conſtitutionibus imperii gemaes* (*v*), vnd

gieſſer Profeſſoris bey anführung des LVDOVICI *eine offenbahre cauillation verborgen, weil zu der zeit, da* LVDOVICI *die angezogene Einleitung zum proceſs geſchrieben, derſelbe ein halliſcher profeſſor geweſen, und daran, daſs er profeſſor zu gieſſen werden wurde, noch nicht gedencken können, vielweniger ein gieſſer profeſſor wurcklich geweſen iſt, mithin auch von denen heſſiſchen landes-geſetzen, und wie fern die areſta darinn zugelaſſen, oder verbothen worden? wenig wiſſenſchafft gehabt hat.*

(*r*) vid. verba. *ord. Cam. in not. praeced. lit. I.*

(*s*) *§. XIV.*

